



42.  
Q. D. B. V.

23  
344.

THESIUM JUSTINIANEARUM  
VELITATIO DECIMA QUINTA,

1653 23

De

OBLIGATIONI-  
BUS EX DELICTIS  
VEL QVASI.

Quam

Authoritate & Permissu Magni-

fici Jctorum Ordinis in almâ Leucoreâ,

PRÆSIDE

*VIRO Nobili, Consultissimo & Excellentissimo*

DN. GOTTFRIDO SUEVO,

J. U. D. & P. P. Acad. h. t. Reçt. Celeberr. Curia Elector.

Facult. Juridicæ ut & Scabinatus Assessore gravissimo, Patro-

no suo atq; Præceptore submisit colendo,

*defender*

MARTINUS PILTIUS, Fridlanda

BOHEMUS.

*Add. 4. Augusti*

In Acroaterio Jctorum.

---

WITTEBERGÆ,

PRÆLO HAKENIANO, MDC LII.

11.





345.

O. D. B. V.

THESEUM IUSTINIANEARUM  
VELTATIO DECIMA QUINTA

ORBLIGATIOM

BUS EXDELICTIS

VEL QVA SI

Auctoritate & Permittu Magni

et Scilicet Ordinarii Iudicis

DN. GOTTFRIEDO SUEVO

IUD. & P. A. & C. P. & C. P. & C. P.

Facultatis Iuris in Academia Lipsiensi

MARTINVS P. I. S. F. P. S. D.

B. O. H. E. M. M. B.

In Actibus

ERULO HARWINGO, M. D. C. L. I. I.



346.



GRATIOSO SPIRITU DIRIGENTE.

THESIUM JUSTINIANEARUM  
VELITATIO DECIMA QUINTA.  
DE OBLIGATIONIBUS  
EX DELICTIS VEL QUASI.

In Auditor.  
Jutorum.  
Ad diem 23.  
Julij Anno  
1653.

Quam  
PRÆSIDE

GOTTFRIDO SUEVO, D.

& P. P. h. t. Acad. RECTOR,

instituet

MARTINUS PILTIUS, Fridl. Bohemus.

THESIS I.

Obligatio ex delictis (a) neq; merè civilis est (b) neq; ex consensu (c) sed ex re tantum (d).

Ad rubr. 15  
pr. Inst. de  
oblig. que  
ex del.

(a) A quâ materiâ librum quartum Institutionum incipimus, juxtâ enixam mentem & voluntatem Imperatoris: qui, sicut hereditatem testamentariam libro secundo: Legitimam, sive eam quæ ab intestato venit, libro tertio. Ita obligationes ex contractu vel quasi, libro tertio. Obligationes ex delicto vel quasi, libro quarto proponere voluit. Unde in *pr. I. de oblig. que ex delict. nasc.* inquit. *Cum sit expositum superiore libro: quæ verba, neq; cum Hotom. ad pr. I. d. t. veteris alicujus Jcti esse, ex quo locus hic descriptus erat, quiq; aliter tractaverat, existimamus: cum tantam socordiam Compilatoribus Institutionū imputare velle, religio sit: neq; pensi admodum habemus quod alii intendunt commodius esse, uno libro materiam hereditatis testamentariæ & legitimæ, uno itidem materiam obligationum ex contractu vel quasi, ex delicto vel quasi, uno deniq; actionum & Judiciorum tractari. Sufficiat ita placuisse Imperatori Justiniano, fortè ne hic vel ille liber mole suâ exeresceret, alter verò minueretur, Vultej. ad pr. I. h. t. m. 1.*

A

(b) Glossa





(b) Glossa quidem ad §. 2. l. de I. N. G. & C. in verbo, *penes*, voluit, obligationes ex maleficio vel quasi, non esse de jure gentium, sed, vel à Lege 12. tab., vel ab alià Lege. Verum id simpliciter affirmandum non est. Cum enim non omnia delicta Jure Civili tantum sint prohibita, sed quaedam etiam naturali Lege, l. 1. §. 1. ff. de furt. quemadmodum turpia quaedam dicuntur naturà, quaedam civiliter & quasi more civitatis, l. 42. ff. de V. S. rursus quaedammero Jure naturali tantum sint prohibita, quaedam Jure naturali approbato: consequens est, non uniformem esse posse omnium delictorum obligationem, sed aliam esse, naturalem tantum, sine ulla vi aut potestate coactivà, si nimirum delictummero naturali Jure sit prohibitum. qualia ebrietas, avaritia, inhospitalitas, &c. aliam esse naturalem quidem, quae tamen armata sit potestate coactivà, in delictis Juris naturalis approbato prohibitis, qualia, furtum, adulterium, incestus homicidium, &c. aliam deniq; civilem tantum esse in delictis Jure Civili tantum prohibitis, qualia incestus Juris Civilis inter parentes & liberos adoptivos. §. 1. l. de nupt. Si quis susceptam è baptismo duxerit. l. 26. C. de nupt. Si quis pupillam corruperit. l. un. C. §. quis eam cujus tut. fuer. corrup. Riem. dec. 12. q. 1. Frantzk. Exerc. 12. q. 1. adde Gædd. ad l. 6. ff. de V. S. n. 7. & seqq. Hillig. ad Don. lib. 15. cap. 23. lit. B.

(c) Quod probat Jctus in l. 4. ff. de O. & A. in quâ, dum obligationes ex contractu non re tantum, sed verbis & consensu; obligationes autem ex maleficio, re tantum constare dicit, non obscure innuit, has non oriri ex consensu. At naturalem quoq; obligationem ex delictis nasci modo dictum est. Si naturalis: utiq; consensus adierit: talis enim obligatio est ex consensu. l. 1. §. 3. ff. de pact. R. Non ex consensu solum esse naturalem obligationem, sed ex alio quoq; fonte, puta æquitate: Sic ad obedientiam, & reverentiam parentibus præstandam, ad alendos, educandos, dotandos liberos naturà obligamur, non quia consensimus, sed quia æquum est, id juxtà præscriptum Legis & rationis à nobis fieri: Quem in sensum Lege & Jure quoq; obligari dicimur in l. 52. §. 5. & 6. ff. de O. & A. cum obtemperantes Legibus



bus, aliquid secundum præceptum Legis aut contra facimus. Ita in sententiam condemnatoriam non consentit quidem condemnatus, ex eâ tamen obligari & iudicium in invitum reddi dicitur. *l. 83. §. 1. ff. ne V. O. Arum. Exerc. 17. t. b. 1.* Et quanquam delinquens ipse se pœnæ subdidisse, in *l. 34. ff. de Jur. Fisc.* & mente suâ quodammodo puniri dicatur, in *l. fin. C. ad L. Jul. Majest.* Id tamen ita intelligendum est, quod delinquendo causam saltem præbuerit ut puniretur, non verò quod in hanc ipsam pœnam ab initio consenserit: nam delinquendo vel in punitum esse illud factum, vel se non deprehensum iri, vel alio modo impunitum fore cogitavit, & sic ad pœnam consensu suo se nunquam obligare voluit, unde in *d. l. fin. C. ad L. Jul. Majest.* quodammodo mente suâ punire dicitur: quâ improprietatis notâ impropria prorsus arguitur eorum locutio, qui consensu delinquentem obligari ad pœnam contendunt. *Riem. dec. 12. q. 3. Frantz. d. q. 1.*

(d) *Pr. I. de Oblig. qua ex del. l. 4. ff. de O. & A.* solum enim factum spectatur, non quomodo explicetur: unde ex facto actio esse dicitur, quoties ex eo teneri quis incipit, quod ipse comisit, veluti furtum, &c. *l. 25. §. ff. de O. & A.* & quanquam e. gr. injuria, vel verbis fiat vel Scripturâ: ratione tamen causæ efficientis in re tantum, h. e. contumeliâ consistit. Et in hac sola est injuria, non in verbis aut literis. *Vvesenbec. pr. I. b. 1. in fin. Riem. dec. 12. q. 2.*

THESES. II Pro furto (a) commisso (b) datur Actio (c) furti ad pœnam persequendam (d).

*Ad S. 1. §. 3. I. b. t.*

(a) Frequentissimò & Lege naturali prohibito. *§. 1. I. b. t. l. 2. §. 3. ff. de furt.* Unde & naturâ turpe dicitur in *l. 42. ff. de V. S.* cum turbet distinctionem dominiorum. Exempla verò quorundam populorum, ut Lacædæmoniorum, Ægyptiorum, furta laudantium vel non punientium, regulam non restringunt aut criminis turpitudinem extinguunt. *Arum. Exerc. 17. t. b. 4. Petr. Theodor. in Colleg. Crimin. d. 2. t. b. 1. lit. g.*

(b) *In re alterius*, non propriâ, circa quam nullus fraudando animus, quæ furti notatio Logica est. *§. 2. I. b. t.* nisi in re propriâ jus aliquod alteri constitutum sit: ut creditori in pignore, cu-

A 2 jus





jus furtum propterea debitor facere dicitur. §. 10. *I. b. t. in re  
 licet minima.* §. 16. *I. de rer. divis. pr.* Cum in hac etiam improbiq;  
 furtum sive rapina admittatur *pr. I. de Vi bon. rapt.* quæ tamen  
*mobilis* sit, quia contractatio requiritur. §. 1. *I. b. t.* & talis qui-  
 dem quæ cum aliquâ motione sit conjuncta: cum furtum à fe-  
 zendo dicatur, i. e. auferendo. §. 2. *I. b. t. non immobilis*, cui talis  
 contractatio & ablatio non convenit. §. 2. *I. de usucap. in usu quo-*  
*que*: ut si Creditor, depositarius, re pignoratâ, depositâ ad nul-  
 lum usum datâ utatur. Commodatarius re ad certum usum  
 datâ, aliter utatur. §. 6. *I. b. t.* tanta enim erat verecundia prisca  
 seculi, in quo tam minuti à pudore excessus puniebantur, ait  
*Val. Max. lib. 8. c. 2. in fin.* deniq; *in possessione* etiam. §. 2. *I. b. t.* si  
 quis causâ mutatâ tanquam dominus possideat: modo ubiq;  
 accesserit animus lucri faciendi. §. 1. *I. b. t. non alius*, §. 11. *I. b. t.*  
 Ille autem animus cum in furto tempore necessitatis commisso  
 non omnino desit. neque res omnes eo tempore communes ef-  
 se, rectè tradatur: certè à furti crimine talis amotio non excu-  
 sat, sed saltem à poenâ furti ordinariâ. *c. 3. X. de furt. Riem. dec. 12.*  
*q. 4.* Tandem & contractatio fiat cum affectu furandi, sine  
 quo furtum non committitur. §. 7. *I. b. t.* §. 2. *I. de usucap.* unde si  
 contractans credat, & quidem ex probabili quâdam ratione,  
 cognationis, vicinitatis, &c. domino volente se contractare,  
 eumq; permissurum esse, furtum non est. *d. §. 7.* Fiat etiam con-  
 tractatio necesse est, verè invito domino: si enim domino vo-  
 lente contractarit rem commodatam, licet credat invito do-  
 mino se facere: furtum tamen non admittit. §. 8. *I. b. t.* quan-  
 quam enim hoc casu animus furandi adsit, qui solus non item  
 exitus in delictis spectatur, & juxtâ hoc J. Cris. Pomponius in eo  
 casu furtum fieri statuerit, in *l. 46. §. 8. ff. de furt.* attamen cum vo-  
 luntatem domini habens nemo f. dicitur. *l. 48. §. 1. ff. d. t.* rectè  
 furtum fieri negatur, & in verbis *fin. d. §. 8.* Pomponii senten-  
 tia ab Ulpiano reprobatur. *Riem. dec. 12. q. 5. Dn. Frantz. Exerc.*  
*12. q. 2. Dn. Ungepaur. Exerc. 13. q. 6.*

(c) Tùm dominis rerum subreptarum, tum aliis quorum in-  
 terest rem furto subtractam non esse. §. 13. *I. b. t.* ut fulloni, far-  
 cinatoriq;



350.  
cinatori, & certo modo commodatario. §. 15. & seq. l. h. t. quan-  
quam nec dominis semper detur, nisi cum vel ipsorum interest  
rem salvam esse, d. §. 13. puta, si fullo aut sarcinator non sit sol-  
vendo, sive in totum sive in parte saltem: d. §. 15. vel commoda-  
tario, res ab ipsis commodata subtracta est. §. 16. b. t. nec iis qui  
non domini sunt, nisi intersit eorum ex honestâ causa. l. 76. §. 1.  
ff. de furt. unde ejus rei nomine furti agere nemo potest, cujus  
ipse fur est. l. 14. §. 4. ff. de furt. ne ex delicto conditionem suam  
faciat meliorem. l. 134. §. 1. ff. de Reg. Jur.

(d) Pecuniariam nimirum, & quidem quadrupli, in furto  
manifesto, dupli in nec manifesto. §. 5. l. §. b. t. quarum hæc civi-  
lis est. §. 4. l. de noxal. act. illa Prætoria. pr. l. de perpet. & tempor.  
act. Vultej. ad §. 1. b. t. n. 55. Quodnam autem furtum manifestum  
sit, quod nec manifestum, vide in §. 3. l. h. t. in quo hæc duo tan-  
tum furtorum genera, reliquis speciebus actionis, furto cohæ-  
rentibus, Concepti, nimirum, Oblati, Prohibiti & non Exhibi-  
ti furti sublatis, post abolitam rei furtivæ requisitionem juxta  
veterem observationem. §. 4. l. h. t. per lancem sc. & licium: de  
quo inquirendi modo vide Gell. 18. Noct. Attic. e. 3. & varias Erudi-  
torum opiniones apud Cal. Rhodigin. lib. 10. lection. antiq. c. 6. Ho-  
tom. ad §. 4. l. h. t. circa finem. Cur vero in manifesto furto major  
pœna sit, quam in nec manifesto. vid. Cujac. 19. Observ. 12. Vultej.  
ad §. 1. l. h. t. n. 53. Petr. Theodor. Colleg. crimin. disp. 2. th. 7. lit. c.

THESES. III. Sicut autem Actio furti ad pœnam (a) ita ad  
rem persequendam (b) datur rei vindicatio (c) & Condictio  
furtiva. (d)

(a) Et quidem solam, th. præced. est enim merè pœnalis. §.  
ult. l. h. t. §. 18. l. de act.

(b) Iniquum enim fures retinere rem, & ab ejus restitutione  
liberari: contra dominum reipsâ vel ejus pretio carere. Hodie  
autem cum pœna furti capitalis sit, & h. seq. fure suspenso vel fu-  
stigato, dominus ad rem furtivam extantem habet actionem,  
non item ad æstimationem consumptarum adversus heredem,  
nisi cum relegationis vel carceris pœna dictata fuit arg. Const.  
Elect. 12. p. 4. Dn. Carpz. pr. Cr. q. 80. n. 104.

A §

(c)



(c) Ad vindicandum dominium rei furtivæ extantis, sive fur ipse possideat, sive alius quilibet. §. ult. l. h. t. adeò ut si distracta fuerit, asserti possit à manu emtoris, absq; refusione pretii. l. 23. C. de R. V. l. 2. C. de furt. adde Ordin. Criminal. Caroli V. art. 213.

(d) Inducta odio furum, ut pluribus actionibus teneantur contra regulam in §. 14. l. de act. datur soli domino l. 1. ff. de condit. furt. adversus furem heredemve ejus, non saltem quatenus ad eum pervenit, sed in solidum, quo ipso ab actione furti differt, quæ in heredem non datur regulariter, de quâ exaudimus in l. 9. in fin. l. 10. ff. de tut. Et rat. distrab. conditionem furti, positâ pro actione furti. Cæterum nostram assertionem probat, tum §. ult. l. h. t. in quo notanda generalitas, datur adversus heredem, conjunctio utriusque furis sc. & heredis, & subjecta ampliatio: licet non possideat: tum ratio, quod conditio furtiva est rei persecutoria l. 7. §. 2. ff. de condit. furt. §. 14. l. de act. & sic adversus heredes quoque datur, & quidem eâ qualitate, quâ competebat adversus ipsum defunctum, i. e. in solidum. Non enim in talibus conditio obligationis mutari debet ex personâ heredum. l. 2. §. 2. ff. de V. O. Neque propriè ex ipso delicto datur Conditio furtiva, sed saltem occasione delicti, & propter delictum ad eum datur, ait Arum. Exerc. 171. th. 9. tum deniq; textus expressus in l. 9. ff. de condit. furt. quam licet Cujac. lib. 7. Obs. 37. de casu litis contestatæ exaudiat, idq; Vult. in §. 14. l. de act. n. 10. approbet, singulare quid ex propositione, in, petendo: quasi verbis, in conditione ex causâ furtivâ, significetur, conditionem jam intentatam fuisse adversus defunctum, & heredes in eam incidere: &c. M. Lyclama autem, lib. 1. membran. 1. Eclog. 18. quem laudat & sequitur. Riem. dec. 14. q. 1. casum alium formandò aliter applicari nitatur: illud tamen merè divinatorium est, quod & ipse dissentiens Riemerus agnoscit, hoc verò menti J. C. t. convenire non videatur, ut in discursu fortè tentabimus. Sentiunt nobiscum præter plurimos alios Fachin. lib. 9. controv. cap. 5. Hillig. cum Don. sup. lib. 15. cap. 29. lit. N. Arum. Exerc. 17. th. 9. Schifordegk. ad Fabr. lib. 1. tract. 10. q. 2. Et per tot. P. Theodor. in Collog. Crim. disp. 2. th. 7.



*lib. 7. lit. b. Dn. Ungepaur. Exerc. 13. q. 8. in Neg.* Datur itaq; conditio furtiva in solidum adversus heredem furis, non item adversus successorem singularem, si quidem instar actionis personalis adversus eundem dari debet: idem autem cum fure censetur heres ejus & successor universalis, qui in vitia quoq; succedit, non singularis. Idem quod in §. 27. *Ide rer. div.* dicitur: Extinctas res condici posse à furibus & quibusq; aliis possessoribus: id nequaquam de singularibus, sed de talibus exaudiendum est, qualis fur & prado erat, de quibus ibidem sermo fuerat. *Wesembec. ad d. §. 27. in fin.* quamvis alii in d. §. 27. pro quibusq; legant, *quibusdam*, & manuscriptum Bibliothecæ Jenensis ita habere testetur. *Riem. dec. 13. q. 7.* Obiter in causam efficientem proximam conditionis furtivæ inquire possit, an ex quasi contractu oriatur, an ex delicto, an ex variis causarum figuris, an ex suâ suæ causæ figurâ, de quo vide *M. Lyclam. lib. 1. Benedict. cap. 7. Bachov. ad Tr. vol. 1. disp. 22. §. 12. lit. B.*

THE S. IV. Hodie furti poena capitalis (a) ultimumque supplicium est (b) justè introductum (c) & præcisè irrogandum (d). *ad §. 5. l. b. 1.*

(a) Qualis & olim quidem ex Lege Decemvirali interdum inflicta est, teste Gellio *lib. 11. Noct. Attic. cap. ult.* sed Justinianus pro furto membrum abscindi, aut mori prohibuit, & saltem aliter castigare voluit in *Nov. 134. cap. 13. §. pro furto.*

(b) Suspendii nimirum, quod consuetudine, imprimis Saxonica inductum. *Landr. lib. 2. art. 13. Den Dieb soll man hengen.* & approbatum est à Friderico Imp. in Constit. de pace tenendâ, *lib. 2. F. cap. 27. §. ult.* quem ob hanc editam Constitutionem, malâ morte obiisse & in inferno torqueri malitiosè scripsit *Paris de Put.* sicut & deinceps à Carolo V. in *Ordin. Crim. art. 160.* & Electore Augusto *p. 4. Const. 32.* modo furtum excedat valorem quinq; solidorum, *Über fünffte der besten Ungarischen Gulden wehrt. d. Const. 32. ibiq; Dan. Moller. n. 9. §. 10. & lib. 1. Semestr. cap. 37. adde Dn. Carpzov. in Pr. Crimin. p. 2. q. 78. n. 23.*



*nr. 23. & seqq.* Quanquam circa poenam irrogandam Constitutio-  
 nes, Carolina & Electoralis interdum differant. Nam ex  
 Constit. Carolinâ, si furtum unicum, cum effractione tamen,  
 vel assumpto telo commissum sit, sive parvum sive magnum,  
 poena ultimi supplicii est. *art. 159.* Si sine effractione, aliisve  
 circumstantiis aggravantibus, arbitraria. *art. 160.* Si furtum,  
 simplex, & infra valorem quinque aureorum, non manifestum  
 tamen, rem unâ cum duplo, vel simplo, vel si in bonis non ha-  
 beat, rem ipsam tantum restituet fur, insuper carcere punien-  
 dus. *art. 157.* Si manifestum, præter restitutionem rei furtivæ,  
 virgis cæsus relegatur. *art. 158.* nisi qualitas honestioris perso-  
 næ, poenam quadrupli saltem dictare suadeat. *d. art. 158.* Si fur-  
 ta duo magna, poena laquei: si modica, infra quinque aureos,  
 numellarum & relegationis poena est. *art. 161.* si tria vel plura,  
 sive magna sive parva poenam laquei esse statuunt plurimi, &  
 solam iterationem spectari: Sed verius Carolum V. hic quoque  
 valorem & quantitatem spectari voluisse, ut si omnia furta si-  
 mul juncta quinque aureos excedant, in maribus poena sit la-  
 queus, in foeminis submersio in aquas. *d. Ordin. 161. in fin. & art.*  
*seq. vid. Corpzov. in Pr. Crimin. p. 2. q. 78.* quanquam in maribus &  
 foeminis, ex observantia frequentiore eadem poena sit, nimirum  
 laquei. Ex Constitutione autem Electorali, furtum primum  
 quinque aureos excedens, licet sine effractione commissum, la-  
 queo. *d. Const. 31. §. Wann einer. & seq.* Si cum effractione, li-  
 cet minimum sit, tamen laqueo. *§. were dann* modicum sive  
 primum sive secundum ultra medietatem quinque aureorum,  
 fustigatione & relegatione. *§. Ferner.* infra illam, carcere vel  
 relegatione temporali. *§. ist aber.* tertium furtum, si summa  
 in omnibus computata quinque aureos conficiat, laqueo: si mi-  
 nus, fustigatione & exilio punitur. *§. Wann dann einer. &*  
*seq.* Quomodo autem ratione rerum, quantitatis, ætatis, con-  
 ditionis, poenitentia in ablati restituendis, aut rei aliâs à do-  
 mino recuperatæ, propriæ confessionis, juxta quam tamen de  
 corpore delicti certi nihil constet, furti à pluribus commissi,  
 transactionis cum domino factæ, oblatae refusionis, &c. poena  
 mitige-



354.  
mitigetur, videndum in *dd. art. & Const.* & apud *Dn. Carpz p. 2.*  
*q. 78. n. 35. & q. 80. 81. 82. per tot.*

(c) Ut ob crescentem malitiam crescat poena, & multis gras-  
santibus, Exemplo, quo opus est, terreantur alii. Neque hæc  
poena Deo in Politiâ Mosaicâ omninò displicuit. Potuit enim  
fur effringens à privato impunè occidi. *Exod. 22. v. 2.* in servitu-  
tem addici *v. 3.* & poenâ pecuniariâ in septuplum exaggerari unâ  
cum confiscatione bonorum. *Prov. 6. v. 3.* neque cum re semper  
conferenda poena est, quasi inter vitam & bona hominis nulla  
sit proportio: siquidem hac ratione etiam sacrilegi & incendi-  
arii ab atroci supplicio futuri sunt immunes: sed qualitas deli-  
cti societatem & tranquillitatem humanam pessimè violantis:  
neq; Legibus illis Mosaicis, tanquam forensibus obligamur,  
sicut nec dissentientes, aliis ejus Politiæ Legibus, de violatore  
Sabbathi. *Exod. 31. v. 14. Num. 15. v. 35.* de filio immorigero lapi-  
dibus obruendo *Deut. 21. v. 18. & seqq.* obligari volunt. *Arum. E-*  
*xerc. 17. th. 6. P. Theodor. Coll. Crim. disp. 2. th. 7. in fin. Harpr. ad §. 5. l.*  
*h. t. Dn. Ungepaur. Exerc. 13. q. 3. Dn. Carpzov. Pr. Crimin. p. 2. q. 77. n.*  
*3. & seq.* ubi è Theologis & Jctis plures furum osores & defen-  
sores.

(d) Nisi causa quædam justa mitigationem suadeat: Nullo  
modo autem vel puellæ in matrimonium petenti concedendo  
fur est. *Coler. decis. 138. n. 3.* (quanquam Princeps supremus di-  
spensare possit. *Virgil. Pingitz. q. Saxon. 8.* quem sequitur *Dn.*  
*Carpz. Pr. Crimin. p. 2. q. 88. n. 23. & 30.*) vel si rupto laqueo decide-  
rit in terram dimittendus est: ne & delicta maneant impuni-  
ta, & fraudibus ac præstigiis pandatur occasio: sed sententia  
in fure notoriè malitioso & sufficienter convicto, justè pronū-  
ciata, Executioni tradatur, quæ voluit, **Dass er mit den**  
**Strang oder Ketten vom Leben zum Tode gerichtet**  
**werde.** *Ordin. Carolin. art. 192.* Non est igitur, ut benigniorem  
interpretationem hic capiendam esse dicamus, cum nequaquã  
vetsemur in dubio. Et vix hoc casu, quem præsupponimus  
divinæ & miraculosæ liberationi quid ascribi poterit, ut volu-  
it *Virgil. Pingitz. q. Sax. 7.* ubi furi rupto laqueo in terram deci-  
denti,

B

denti,





denti, perpetuam saltem relegationem dictatam fuisse refert:  
Socerum sequitur. *Arum. Exerc. 17. q. 8. & Dn. Carpzov. p. 2. q. 38. n.*  
*32. & seqq.*

THESES. V. Raptor (a) præter actionem vi bonorum raptorum (b) etiam furti (c) tenetur, neque levius punitur quam fur (d).

(a) Qui vi res alienas rapit, *pr. l. de vi bon. rapt. dolo, non errore quodam §. l. l. b. t.* Et quidem ut vocabulum rapiendi innuat, ita rapit, ut auferat: vis enim hic intelligitur ablativa, quæ alia est à turbativâ, ob quam Interdicta uti possidetis & Utrubi, à compulsivâ, ob quam Actio ex Edicto quod metus causa: ab expulsiâ, ob quam Interdictum unde vi datur. E quibus turbativa & compulsiva circa res mobiles & immobiles: expulsiiva circa immobiles tantum: ablativa circa mobiles tantum committitur: imo & circa unam rem, licet minimam. *pr. l. b. t.* Nam appellatione plurali in rubricâ hujus tituli, *de vi bon. rapt.* etiam res una continetur, sicut appellatione liberorum unus filius. *l. 148. ff. de V. S.*

(b) Quam actionem ejus delicti nomine propriam introduxit Prætor, tùm, quod curam habeat reprimendæ improbitatis hominum, tùm quod rapina non animo lucrandi saltem sed & injuriæ & petulantia fieri possit, quo casu furti actio cessat: pollicetur autem eam intra annum, & quidem utilem, *l. 2. §. 13. ff. b. t.* in quadruplum, post annum in simplum, ut tamen in quadruplo non tota poena sit, sed & rei persecutio. *pr. l. b. t.* Unde mixta actio dicitur in §. 19. *l. de act.* Datur autem exemplo actionis furti, non saltem domino raptæ vel ablatae rei, cujus in bonis, sed & cujus ex bonis illa fuit, cujus interest non rapi. *§. ult. l. b. t.*

(c) Nam qui vi rapit, utiq; rem alienam invito domino cõtrectat, & improbus fur est, *pr. l. b. t.* tenetur autem actione furti vel manifesti, si rapiens deprehensus fuerit. *l. 25. §. fin. ff. de furt.* unde & raptor manifestus fur dicitur, in *l. 80. §. 3. ff. de furt.* vel nec manifesti, si deprehensus non sit. *l. 1. ff. de vi bon. rapt.* in quâ licet in genere actio furti nec manifesti proponatur in raptorẽ,

non



356.

non tamen sequitur propterea furti manifesti actionem in eum non dari: quia Prætor saltem illam actionem ibi proponere, voluit quæ detur contra quemcunque raptorem vid. *Bachov. ad pr. l. b. t.* Et si furti manifesti actione conveniri non posset raptor, melioris conditionis esset quam fur, quod est contra mentem Imperatoris & naturam delicti, quod improbum furtum dicitur. *d. pr. h. t. Arum. Exerc. 17. th. 10. Riemer. dec. 12. q. 6. P. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 2. th. 10. Dn. Unger. Exerc. 13. q. 9.* De concurrentium vero actionum electione vide *l. 1. ff. vi bon. rapt. §. 1. 88. ff. de furt.*

(d) Quia si deprehendatur tenetur in quadruplum æquè ac fur manifestus: Si minus, tamen in triplum pœnæ tenetur, magis quam fur nec manifestus; & sic nunquam est levioris conditionis, qui vi rapit, quam qui clam amovet. *d. pr. in fin.* Est & in eum comparatum iudicium publicum de vi §. 8. *l. de publ. iudic.* de quo infra suo loco.

THESES. VI Actione Legis Aquiliæ (a) damnum injuriâ (b) datum (c) vindicatur diversimodè (d) vel civiliter (e) vel criminaliter (f).

ad pr. Inst. de L. Aquil.

(a) Quanquam enim origine Plebiscitum sit, rogatum ab Aquilio Tribuno plebis, non à C. Aquilio Gallo, cujus est stipulatio Aquiliana, quia Q. Mutius Legis mentionem facit, in *l. 39. ff. ad L. Aquil.* post cujus tempora vixit C. Aquilius Gallus, *Crispin. in not. l. b. t. Forst. p. 1. tract. Justin. disp. ult. th. 8.* ab effectu tamen quo parem cum Legibus auctoritatem obtinet, §. 4. *l. de l. n. G. & C.* rectè Lex vocatur.

(b) Id est non Jure per culpam, ad differentiam pauperiei, quæ dicitur damnum, sine injuriâ faciendū datum, *l. 1. §. 2. ff. si quadrup. pauper fec.*

(c) in re sc. familiari, non dignitate alterius. Ideo stupræ virgini hæc actio non competet, nisi præter imminutam dignitatem accesserit læsio corporis. *P. Theodor. Colleg. Crim. disp. 2. th. 12. lit. b. Harpr. ad §. 10 l. b. t.*

(d) Vel directò vel utilitèr, quatenus vel corpore suo immediatè, vel alio modo damnum quis intus-





intulit juxtâ §. ult. I. b. t. & variis ex causis: puta, pro occiso alieno homine aut alienâ pecude, è numero gregatim pascentium ex primo capite. *pr. & §. 1. I. b. t.* pro occiso animali non pecude aut vulnerato quovis animali, etiam pecude, aut raptis corruptisve rebus inanimatis ex tertio capite, §. 13. I. b. t. Secundum enim caput, quod de interceptâ utilitate cum *Cujac. in ff. b. t. & Gothofr. ad l. 27. §. 4. ff. eod.* vel de pauperie cum *Freber. lib. 2. parerg. 3. Vel & l. 5. §. 2. de serv. corr.* crebrius de servo corrupto fuisse putatur, cum *Arum. Exerc. 17. th. 12. P. Theodor. Coll. Crim. disp. 2. th. 12. lit. d.* in usu esse desit. Neque nos ergò nimis curiosi erimus in quærendis iis, quæ sine magno commodo ignorantur: nam & boni Jcti est, quædam nescire, ait *Wesenbec ad §. 4. I. de oblig. que ex del.*

(e) Ad æstimationem, damni ex communi judicio, non affectione singulari, *l. 33. ff. ad L. Aquil.* vel quanti ea res in eo anno & quidem continuo, *l. si. §. 2. ff. b. t.* plurimi fuerit, *d. pr. I. b. t.* ut tamen & ejus quod interest, juxtâ veritatem, non juxtâ affectionem. *l. 33. b. t.* impensarum, curationis, & omnis damni perempto corpore illati, ratio habeatur. *l. 7. pr. l. 27. §. 17. ff. b. t. §. 10. I. b. t.* ex primo capite, *pr. & §. 9. I. b. t.* vel quanti die 30. proximis res & quidem plurimi fuerit, ex tertio capite, §. 14. & seq. I. d. t. diversitatis ratione vix æquè indaganda, cum illa Azonis, quod sc. in primo capite majus damnum in occisione versetur, neutiquam proba sit: siquidem contrâ sæpè in tertio capite, vulnerato fortè cane generoso, aut gemmâ pretiosâ, fractâ, majus damnum versatur quam in primo, porcello aut oviculâ occisis. *Bachov. ad d. §. 14. I. b. t.*

(f) Si enim ex quovis delicto privato criminalitèr quoque agere licet *l. ult. ff. de privat. delict. l. ult. ff. de furt. l. ult. ff. de injur.* cur non & ex damno injuriâ dato? quanquam enim ipso servo, e.g. occiso, ex L. Corneliâ criminalitèr agi dicatur in *l. 3. C. de L. Aquil. §. 11. I. b. t.* quos textus de L. Corneliâ exaudiunt: non tamè excluditur Actio L. Aquiliæ quo minus & hæc intentetur ad pœnam corporalem, vel pecuniariam fisco applicandam *Riem. dec. 12. q. 7.*



358.

THESES. VII. In Actione Legis Aquiliæ injuria (a) quidem requiritur: non semper dolus (b) casus autem excusat. (c)

(a) Ut nullo Jure damnus quis dederit, §. 2. I. b. r. Unde si si quis latronem aggressorem occiderit, non tenetur. d. §. 2. Jure enim fecisse existimatur, quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit. l. 3. ff. de I. & I. dum tamen moderamen inculpatæ tutelæ observaverit, & injustè offensus vel insultatus, quo loco provocationem minimè habemus, P. Theodor. Colleg. Crim. disp. 11. rh. 4. lit. E. (quanquam si justè lacessitus provocantem occiderit aut vulneravit, mitius habeatur ex Const. Elect. Aug. 10. p. 4.) cū periculum aliter effugere non posset, illud in continenti repulerit, habito æquilibrio, non in armorum æqualitate quidem, eam enim nec leges requirunt, nec natura defensionis, quæ in continenti fieri debet, admittit: sed in offensione & defensione, ne scilicet, pugno percutientem, maximè si persona debilis sit, & percussus aliter se defendere possit, gladio retundat &c. Videantur de moderamine inculpatæ tutelæ, Tr. part. 1. disp. 18. rh. 7. P. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 11. rh. 5. Schultz. in Synops. I. b. r. & fusè Dn. Carpzov. Pr. Crim. p. 1. q. 28. & de pœnâ excessus circâ defensionem ejusq; modum & tempus. q. 29. 30. 31. Probandum autem est moderamen inculpatæ tutelæ per testes, etiam domesticos & consanguineos, aliosq; minus idoneos, etiam per unum testem: per indicia & præsumptiones: ad effectum liberandi à pœnâ ordinariâ. Const. Elect. 8. p. 4. aut ijs deficientibus per torturam. d. Const. 8. ad effectum plenariæ absolutionis, Si in tortura necessariam offensionem obtinuerit. vid. Dn. Carpz. d. loc. q. 33.

(b) Sed sola culpa sufficit, etiam levissima, l. 44. ff. b. r. quod speciale est in hoc delicto, ut quis non minus ex dolo quam ex culpâ teneatur. §. 3. I. b. r. secus ac in aliis, in quibus dolus requiritur, unde & infirmitas, Imperitia & quævis incuriositas aut negligetia, ex quâ damnū alteri illatū est, locum faciunt huic actioni, quod exempla probant in §. 4. & seqq. I. b. r.

(c) Ut si navis fune rupto, aut cum à nullo regeretur, in alterius Scapham impacta damnus dederit. l. 29. §. 2. ff. ad L. Aquil.

B 3 quam



quam contra *Anton. Fabr.* negationem in verbis finalibus *d. §. 2.* tollentem rectè explicat *Arum. Exerc. 17. th. 13.* Sicut & tunc cessante culpâ, cessat Actio L. Aquiliæ: Si quis magnâ vi cogente & justo metu ductus damnum dederit: puta, si incendij arcendi gratiâ ædes vicini demolitus fuerit, *l. 49. §. 1 ff. b. t. modo ignis jam proximè accesserit, eumq; metum justissimum cõcitarit, l. 7. §. 4 ff. quod vi aut clam. P. Theodor. Coll. Crim. disp. 2. th. 14. lit. b.* damnum verò vicinis ex combustione illatum, ille refarcire, tenetur, ex cuius ædibus incendium ortum est: modo ipsius culpâ id evenerit, quod probabit Actor: Reus enim quanquam culpâ inhabitantium plerumq; incendia fiant, *l. 3. §. 1. de offic. præfect. vigil.* attamen cum fatali & majore vi, aut aliorum dolo, nec à patrefam: semper aut à familiâ quidem, sine culpâ tamen ejus, incendium oriri possit, quod & alias casus fortuitus est: ex solâ illâ præsumptione neque condemnari debet, neque contrarium, culpam sc. abfuisse, probare tenetur, sed eam adfuisse, vicinij actor probabit. Et hanc sententiâ ut benigniorem & receptiorem tenent, *Rauchb. p. 2. q. 10. Virgil. Pingitz. q. Sax. 24. Arum. Exerc. 17. th. 14.* ubi Jenenses in pronunciando eandem sequi testatur. *Finckelthaus. Obs. præf. 89.*

ad §. 1. I de **THE S. VIII.** Verbum, tu mentiris, injuriosum est (a) etiam sub honoris præfatione (b) nisi prolatum à provocato (c) in vim retorsionis (d).

(a) Dolum enim & calumniam imputat ei, in quem proferatur.

(b) i. e. licet protestatus fuerit, vel antequam dixit, vel postea; solitâ formulâ, *Salvo honore tuo:* Hæc enim protestatio facto contraria & ironica est, nihil relevat si actus sit potentior, nihilq; novi tribuit protestanti, sed tantum, quantum habet, conservat. *Gail. lib. 2. Obs. 101. Wesenb. in parat. de injur. n. 8. Riem. dec. 12. q. 9. Arum. Exerc. 17. th. 16.*

(c) Puta si qui criminis injuriosè insimulatus est, dicat, tu mentiris: purgandi enim se, non injuriandi animum habuit: cœterum ferendus est, pudorem suum purgans, inquit *Jetus in §. 2 ff. de procur. Wesenb. d. l. n. 8. Fachin. lib. 9. contro. cap. 12. Högn. disp. 1. th. 25.*

(d) Hæc



1360.

(d) Hæc enim eo modo est dicita, & naturâ permissum, ut  
viro atque injuriam propulsemus, l. 3. ff. de I. & I. Ergo non rea-  
lem tantum, de quâ dictam l. accipiunt multi, sed verbalem  
quoque. Et quanquam in verbali injuriâ, Retorsio hæc, tu  
mentiris, novam injuriam, mendacii nimirum & calumniæ  
opprobrii inferre; & sola negatio, se sc. criminis, quod objecta-  
tur, reû nō esse, sufficere videatur: tamē, neq; sola negatio quid  
proficiet neq; ulla defēsiō, qualis in realib; & verbalib; injuriis  
cōcepta est, sit sine quadâ relaxiōne. Ita in realib; defēsiō fit nō  
nisi lædēdo adversariū, occidendo, verberando, dejiciendo,  
&c. & omne id quidem jure permittente: imō nec defendere  
se videtur, qui ictum saltem excipit: Cur non ergo in verbali-  
bus quoque injuriis se defendat quis retorquendo, licet retor-  
sione vicissim lædat adversarium: quod & æquiparatio vitæ &  
famæ suadet *Gail. lib. 2. Observ. 100. Fachin. lib. 9. controu. cap. 12. Tr.  
vol. 1. disp. 18. th. 7. lit. b. Riem. dec. 12. q. 8. P. Theodor. Colleg. Crimin.  
disp. 2. thes. 16. lit. g. disp. 11. th. 4. lit. e. circa fin. Dn. Frantzk. Exerc.  
12. q. 7.*

THESES. IX. Injuriam neque convitii (a) veritas [b]  
tollit, neque auctoris allegatio [c] neque mandatum alte-  
rius [d].

ad §. 1. §  
II. l. b. t.

[a] Quod ita appellatur quasi convocium, à conventu,  
h. e. à collatione vocum, cum in unum complures voces  
conferuntur. *lib. 15. §. 4. ff. de injur. Forster. lib. 3. disp. ult.  
th. 12.*

[b] Puta, si quis cæcum, claudum, gibbosum &c. aut etiam  
leprosum, furem homicidam, &c. dixerit, qui talis est: quan-  
quam enim manifestari hunc reipub. interfit: attamen incon-  
sulto calore in rixam prolapsus, tale convicium objicere non  
debebat, *l. 5. C. de injur. nec ita quis ad libidinem convitiandi  
effundi. l. 3. C. de offic. Reçtor. Provinc. quod dum fecit pravus ani-  
mus revelantis rem efficit iniquam: non enim, ut puniretur  
delictum, objecit, sed ut libidinem suam convitiisq; refertum  
animum*





236.

animum expleret. Et cur non denunciavit oportuno loco magistratui, cur non accusatorem egit, sed in rixâ crimen objecit, animumq; injuriandi abundè declaravit. vide *Dautb. de testam. ad tit. de his qui testam. fac. pasc. n. 228. P. Theodor. Colleg. Crim. disp. 2. th. 21. lit. e. Forst. lib. 3. disp. ult. th. 13. adde Ordin. Crimin. Caroli V. art. 110. Mynsing. cent. 4. Obs. 4.*

(c) Puta, si nomet eum, à quo convitium hoc vel illud, alicui imputari audivit: Eo ipso enim, dum propalavit injuriam, eandem fecit suam, *arg. l. unic. C. de famos. libel. Coler. decis. 161. n. 4. Dn. Carpzov. Pr. Crimin. p. 2. q. 96. n. 67. & seqq.*

(d) Nam & is tenetur qui procuravit, ut, e. g. cui dolo malo pugno percutererur. *§. II. I. de Injur.* Unde nec Advocatus, injuriosa verbo vel scriptis proferens, excusabitur, licet jussu Clientis dixisse se aut scripsisse dicat. *Dn. Carpz. lib. 2. tit. 5. Resp. 62.*

ad §. 1. I. b.

THESES. X. Excipiens contra testes (a) injuriandi animum habere non censetur (b) quem in aliis & abfuisse, reus interdum (c) probat (d) interdum adfuisse Actor. (e)

(a) Eos infames, usurarios, & alio modo, turpes esse.

(b) Ideo nec injuriarum tenetur, nisi acturus animum injuriandi probet. *Dn. Carpzov. p. 4. c. 42. defin. 7.* aliàs, potius animum se defendendi causamq; suam protegendi, habuisse censetur. *facit. l. 44. ff. de jur. fisc. l. 14 §. 7. ff. de bon. libert. l. 26. ff. de liber. caus. Fachin lib. 9. controv. cap. 13.* maximè si protestationem adjiciat: *Gail. lib. 2. Obs. 101. n. 6.* idq; in criminalibus eo minas dubii habet, cum ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualitercunq; redimere voluit. *l. 1. ff. de bon. eor. qui mort. sibi consciv.*

(c) Sic, quod objectum est, per se contumeliosum sit: nam cum præsumtio in talibus contra eum militet, ut per contrarium, abfuisse animum injuriandi probet necesse est.

(d) Etiam Juramento purgationis, si præsumtio, quædam pro eo militet. *vid. Gail. lib. 2. Observ. 106. Dn. Carpz. p. 4. c. 42. defin. 9.*

(e) Si per se quid injuriosum non sit, Actor tamen in contumeliam sui insignem, id prolatum acceperit: aut injuriosum quidem à conjuncta tamen personâ prolatum sit in quâ corrigendi





gendi potius, quam injuriandi animus præsumitur, donec  
convitiandi libido probetur. *Tr. vol. 2. disp. 30. t. b. 5. lit. b. Arum.*  
*Exerc. 17. t. b. 15.*

THESES. XI. Vindicatur injuria [a] actionibus, civili [b] *ad §. 7 &*  
& criminali [c] quæ ritè sunt intentandæ [d] & excipiendæ [e] *seqq. t. b. 1.*

[a] Sive nobis illata, sive liberis, in potestate constitutis. §.  
2. *I. b. t.* non emancipatis *l. 17. ff. b. t.* etiam nuptis, sive uxori: sive  
uxori filii quem in potestate habemus, §. 2. *I. b. t.* sive servo in  
contumeliam nostram. §. 2. *I. b. t.* vel proprio vel communi, §.  
4. *d. t.* vel cujus usumfructum habemus, vel ei  
qui bonâ fide nobis servit, aut servus alienus  
est, si in nostram contumeliam injuria facta sit. *l. 15. §. pen. ff. b. t.*  
§. 6. *b. t.* unde fit ut sæpè plures actiones injuriarum dentur, *d.*  
§. 2. *I. b. t.* filij autem nomine competentem actionem pater re-  
mittere potest: modo filij persona non fit honestior, patris vi-  
lior. *l. 17. §. 13. ff. b. t.* quod tamen de Jure novo vix procedet, ob  
*l. 6. §. fin. C. de bon. qua lib. vid. P. Theodor. in Colleg. Crim. disp. 2. t. b.*  
*18. lit. c.*

(b) Quæ ita dicitur, quatenus opponitur actioni criminali:  
nâ ratione causæ efficientis, est Prætoria, & datur ad æstimationem  
injuriarum quæ passus injuriâ, certâ summâ expressâ, in Judiciû de-  
ducit, sed magistratus definit, §. 7. *I. b. t.* pœnis talionis numma-  
riis levioribus 25. assium olim in magnâ veterum paupertate  
introducitis, jam Jure civili *d. §. 7. I. b. t. & 30.* solidis pro injuriâ  
verbali Jure Saxonico sublatis. *Constit. Elect. 42. p. 4.* Unde se-  
quitur, post abrogatam dispositionem veteris Juris Sax: eo Jure  
ad æstimationem injuriarum agi posse, licet de ea in *d. Const.*  
*Elect. 42. p. 4.* nihil sit expressum. *Dn. Carpz. Pr. Crim. p. 2 q. 95. n. 2.*  
*& seqq.*

(c) Ad pœnam vel pecuniariam fisco applicandam, vel cor-  
poris afflictivam *VV. es. Parat. h. t. n. 14. 16. 18.* quæ arbitraria est, pu-  
ta carceris, relegationis temporalis, aut pro ratione personæ,  
aliarumq; circumstantiarum, perpetuæ, unâ cum fustigatione.  
*d. Const. Elect. 42.* quam tamen, ob injurias verbales ad mortem  
usque non extendi debere, & æquius est, & menti Electoris,  
hanc ipsam arbitrariam pœnam usque ad fustigationem, tan-

C

quam



363.

quam gravissimam, restringentis, convenientius. *Dn. Carpzov. d.l.q.94.n.46. & seqq. de poenâ realium injuriarum, vid. d. Const. 43. Dn. Carpzov. d.l.q.99. Schultz. in Synops. l. b. r.*

(d) Etiam per Procuratorem hodie, cum expressione anni loci mensis, & si accusatus id exigat, diei. *Gail lib. 1. Obs. 64.*

(e) Similiter per Procuratorem in actione civili æstimatoria, & in criminali si persona sit Illustris, §. 10. *l. b. r.* & hodiè indistinctè, nisi poena relegatione gravior, infligenda veniat. *Rauchb. p. 1. q. 7. Dn. Carpzov. d. loc. q. 95. n. 50. & seqq.*

ad §. 10. l. b. r.

THE S. XII. Datur præterea etiam actio ad Palinodiam (a) quæ civilis est [b] & cumulari potest cum actione injuriarum criminali [c] cum civili non item [d].

[a] Quæ Jure Justiniano incognita, moribus introducta & confirmata in *Ordin. Cam. p. 2. t. 28. §.* Und sonderlich. & *Constit. Elect. 42. p. 4.* datur ad recantationem injuriarum: Daß der Beklagte / dem beschwerten und injurirten Theil / nach befindung der Unschuld / einen öffentlichen Widerruf für Gericht thue. Adversus quemcunque injuriantem, etiam Nobilem, Clericum, ob generalitatem *d. Constit. 42. ibi,* Daß ein jeglicher wer der auch were. *Dn. Carpzov. q. 96. n. 12. & 19. cum seqq.* quæ tamen pro stylo Curiarum Provincialium, & aliàs pro ratione circumstantiarum, in deprecationem, Eine Christliche Abbitte oder Erklärung / commutari solet. Id autem agitur in Palinodia, ut recantet injurias reus, quod si facere nolit, primùm aliquot septimanarum carcere, post duriore, additâ comminatione relegationis & recantationis à Licitore ipsius nomine faciendæ, punitur, quibus nihil territus, si contumaciter recuset, Licitor ejus nomine, ipso præsenterecantat & contumax relegatione punitur. *vid. Dn. Carpzov. Pr. Crimin. p. 2. q. 94. n. 21. & seqq. & de injuriante absente. n. 27. & seqq.*

[b] Tum de jure communi, quia pars agens sibi aliquid applicari petit, non Fisco, scilicet restitutionem famæ læsæ, *Inter Ehren ergerzung. d. Constit. 42.* unde & in Camera Imperiali recipitur. *Gail. lib. 1. Observ. 65.* & appellatio in eo permittitur. *Ordin. Cam. p. 2. t. 28. §.* Und sonderlich. cum tamen criminalis





368.  
malis actio, excepta fractæ pacis publicæ causâ, nec in Camera  
sit admissibilis, nec appellabilis: Tum de Jure Saxonico, quo  
criminalis actio pœnam corporis afflictivam intendit, quam  
non spectat actio ad Palinodiam. *Wesenbec. ff. de injur. n. 18.*  
*Riem. Dec. 12. q. 10. Dn. Frantz. Exerc. 12. q. 8 Dn. Carpzov. d. loc. q.*  
*49. n. 50.*

(c) Ita ut injuriatus simul ad Palinodiam & pœnam arbitra-  
riam agat. *d. Constit. 42.* Sicut & ad æstimationem injuriæ & ad  
pœnam carceris vel relegationis rectè agit, non item ad æsti-  
mationem & fustigationem. *Constit. Ele. 12. p. 4. Dn. Carpzov. d.*  
*loc. q. 65. n. 26. & seqq.*

(d) Utraque enim tendit ad idem & privatum interesse: &  
injuriato ejusq; famæ & existimationi, aut per recantationem,  
aut per æstimationem, quæ in illius locum succedit, satis con-  
sultum est: nec occasione famæ læsæ, & per recantationem pe-  
titam restituendæ, mercantiam exercere permittendum est: de  
quo Serenissimi nostri peculiare perscriptum extat de Anno  
1637. quod vide apud *Dn. Carpzov. in p. 4. Const. 42. post. defin. 16.*  
adde *Dn. Christian. Lenz.* in Resolutione quæstionis hujus sin-  
gularis.

THESES. XIII. Ex famoso libello (a) tum actione injuriarum *ad §. 1. I. h. t.*  
experiri licet (b) tum Lege un. C. de famos. libell. (c)

(a) Qui & pasquillus dicitur, à virulento Sartore Romano,  
Pasquillo: compositus & editus ad infamiam alterius, cui deli-  
ctum quoddam notabile impingitur. *Wesenbec. ff. de injur. n. 19.*  
*Heig. p. 2. q. 31. n. 15.* & quidem suppresso auctoris nomine. *Ordin.*  
*Crimin. art. 110. Constit. Elect. 44. p. 4.* Nam si contumeliosè quis  
traducatur calamo citra infamiæ notam, aut nomen auctoris  
expressum reperiatur, injuria saltem scripta vocatur, non Pas-  
quillus, *Dn. Carpzov. Pr. Crimin. p. 2. q. 98. n. 51. & seqq.* neque pœna  
famosi libelli eo casu locum habet, *ibid. n. 24. & seqq.*

[b] Pro omni enim injuriâ, quoquo modo, re, verbis, scripto  
illata, sive cum infamiâ conjuncta sit, sive citra eam cum con-  
tumelia tantum: sive expressum sit auctoris nomen, sive mino-  
modo de eo aliunde constet, injurarum agi potest: Ideo Actus  
hanc eligere potest, cujus remedio famæ restitutionem ha-



305.

bet impetratâ Palinodiâ : quæ alias in actione famosi libelli nõ solet injungi. *Dn. Carpz. d. l. q. 98. n. 45. & seqq.*

[c] Ex quâ pœna capitalis, non tantum quæ caput civile afficiat, veluti deportatio, ut multi volunt, sed & ultimi supplicii, aut alia pœna, quatenus nimirum objectum crimen, morte vel alio modo luendum est, si probatum fuisset : Hoc enim justationis in tam atroci crimine æquissimum judicarunt *Carolus V. in Ordin. Crimin. art. 110. & Elector. Augustus in Constit. Sax. 44. p. 4.* ut periculum, quod quis alteri intentavit ipse solvat, si objectum probare non possit ; quod si probaverit, nihilominus extrâ ordinem, ob malitiosam diffamandi libidinẽ, punitur. *d. art. 110. d. Constit. 44. in fin.* quod posterius, & in Inventore, propalatore, &c. obtinere verius & benignius est, cum & *d. Ordin. Crim. art. 110.* tantum de compositore loquatur : ibi : **Durch seine Unwarhafftige Lâsterschrift.** *Dn. Carpz. d. loc. n. 17. & seqq.*

ad §. ult. I.  
h. t.

THE S. XIV. Tandem actiones injuriarum (a) uti nascuntur (b) ita & tolluntur (c) Præscriptione (d) Remissione (e) Morte (f) Retorsione (g) & Mutuâ compensatione interdum. (h)

(a) Verbalium puta, realium, Legis Corneliæ, §. 8. I. h. t. injuriarum scriptarum, famosi libelli.

(b) Iis nimirum ex causis de quibus in præcedentibus dictum.

(c) Instar aliarum actionum ex contractibus & delictis.

(d) Ut actio injuriarum verbalium lapsu unius anni, & quidem utilis, qui non nisi à die scientiæ currit, qualem Prætores regulariter requirunt, *Fachin. lib. 9. contr. cap. 8. Rober. disp. 20. th. 13.* quod & Camera Imperialis observat. *Gail. lib. 2. observ. 105. Mynsing. cent. 5. Obs. 7.* & Praxis Saxonica *Constit. 46. p. 4.* quæ, cū hoc passu se ad Jura communia referat, eaq; approbet, planum est, non annum Saxonicum, qui ultra annale spacium commune, sex septimanas cum tribus diebus continet : sed illum ipsū civilem, Jure quoq; Saxonico observandū esse. *Dn. Carpzov. Pr. Crim. p. 2. q. 97.* Idem in actione injuriarum Scriptarum & realium leviorū, Jure Saxonico, *d. Constit. 44. §. Also auch & §. dergleichen.* Actio ex L. Cornelia 30. annis instar aliarum civilium.

*Fachin.*





366.  
Fachin. lib. 9. contr. cap. 7. Rober. disp. 20. th. 14. Mynsing. cent. 5. Obs.  
7. Moller. ad d. Constit. 46 n. 2. videatur Dn Frantzck. Exerc. 12. q. 9.  
eodemq; spatio & Actio injuriarum realium graviorum, & famosi  
libelli tolluntur. arg. l. 3. C. de prescr. 30. ann. d. Constit. Elect. 46.  
Moller. ibid. Dn. Carpzov. q. 98. n. 53. Dn. Frantzck. d. loc.

(e) Vel expressâ vel tacitâ, § ult. l. b. r. per familiarem, amicâ,  
& quidem spontaneam conversationem, non quæ ex quadam  
honestatis necessitate fiat. Dn. Carpzov. d. q. 97. n. 50. & seqq.

(f) Tum injuriati, quia cum ad vindictam pertineat hæc a-  
ctio, heredibus non datur. §. 1. l. de perpet. & tempor. act. Tum  
injuriantis, quia actio pœnalis ex maleficio non datur adver-  
sus heredes, nisi utrobique lis contestata fuerit, d. §. r. in fin.

(g) Quæ species defensionis est in injuriis verbalibus, modo  
in continente fiat & cum moderamine: ita scilicet ut injuria-  
tus, vel ipse coram, vel in Schedâ, à Notario & testibus, ut ho-  
die solet, insinuata, dicat aut scribat, mentiri injuriantem, etiâ  
adjecto, sicut fur & latro: non a. aliud crimen ingerat. Harpr.  
ad § ult. l. b. r. n. 97 & seqq. Dn. Carpzov. d. q. 97. n. 24. & seqq. Magi-  
stratui tamen, neque per Retorsionem, neque per Remissionem  
præjudicatur, quo minus ex officio injuriantem coerceat. d. q.  
7. n. 41. & 53.

(h) De quo & aliis videndi Criminalista & Dn. Carpzov. d.  
loc. n. 42. & seqq.

THESES. XV. Judex per imprudentiam (a) malè judicans  
tenetur quasi ex maleficio (b) Pater autem pro filio Judice, (c)  
non item. (d)

(a) Et quidem supinam, non in re admodum dubiâ, in quâ  
& Prudentiores jurare ausint, sibi non liquere, quod olim sole-  
bant facere. Tr. vol. 1. disp. 12. th. 17. lit. d.

(b) Pr. l. de oblig. quæ ex quasi del. non ex vero maleficio, sicut  
medicus imperitè curans L. Aquilia tenetur. §. 7. l. ad L. Aquil.  
quanquam enim imperitia culpa sit, d. §. 7. quæ sufficit ad fun-  
dandam actionem L. Aquilia. §. 3. l. d. r. attamen Judex, neq; in  
corpus hominis damnum dat, imperitè Judicando, neq; spon-  
tè judicat, quasi artis peritiam profitendo, sed invitus, quod  
utrumq; in medico secus est. Hoen. disp. l. 18. th. 34. Petr. Theodor.  
in Colleg. Crim. disp. 2. th. ult. lit. a. adde Hilliger. ad Don. lib. 15. côm.

E. 3. cap.

ad pr. &  
§. 2. l. de  
oblig. quæ  
ex quasi  
del.



cap. 27. lit h.

(c) Si scilicet litem suam fecerit, quod quomodo fiat, vide apud *Dn. Frantz. Exerc. 12. q. ult.*

(d) §. 2. *I. h. t.* ne quidem quoad est in peculio. *l. 58. ff. de R. J. nō enim ut contrahendi. ita delinquendi potestatem fecit pater dum concessit peculium, nisi quatenus vel consensit pater, filio Judice constituto, vel filius cum litem contestatus est, quasi contraxit, ut sic non tam ex delicto, quam ex novā obligatione teneatur, quem in sensum accipienda forte est l. 15. pr. ff. de Judic. de quā vid. Gothofr. in not. ibid. & Bachov. in comm. l. ad d. §. 2.*

ad §. 1. &  
ult. Inst. d.

e.

THESES. XVI. Et in viā publicā (a) & in navi cauponā & stabulo (b) ambulantes & divertentes indemnes esse, Iure provisum,

(a) Sive quā vulgō solet iter fieri; unde si dejectum aliquid effusumve fuerit ex cœnaculo & prætereunti nocitum, datur actio ad æstimationem damni juxta §. 1. *I. h. t.* adversus inhabitantem cujus est cœnaculum, sive proprium ipsius, sive conductum, sive gratis concessum sit, licet alterius culpā factum sit. Nam ipse nihilominus obligatus est, quasi ex maleficio, cum culpa quadam ei imputari possit, quod tam negligentes homines in domum & cœnaculum receperit, si tamen filius familias seorsim habitaverit pro dejectione vel effusione ex ipsius cœnaculo facta Pater nō tenetur. §. 2. *I. h. t.* Imō ut eundem per vias publicas major sit securitas non saltem damnum verē illatum, sed & quod inferri timetur, vindicari solet, & pœnā decem aureorum mulctatur, qui positum aut suspensum quid habet, eā parte, quā vulgō iter fit quod posset si ceciderit, alicui nocere. *d. §. 1. I. h. t.*

(b) Unde in Exercitorem, ad quem scilicet quotidianus quaestus pertinet, §. 2. *Inst. quod cum eo, qui in al. pot.* datur actio, de dolo, vel ut rectius in §. *ult. I. h. t.* legit Cujac. de damno aut furto, quod in navi, cauponā & stabulo factum est, ab iis quorum operā navem aut cauponam aut stabulum exercet, hæc enim culpa ipsi imputari potest, quod tales conduxerit. Vectorum autem & hospitem factum non præstat Exercitor. Namq;

via-



viatorem sibi eligere caupo vel stabularius non videtur, nec repellere potest iter e-  
gentes, ait JCrus in l. un. §. ult. ff. furi. advers. naut. caup. quod in actione de recepto,  
interdum secus est. vid. l. i. in fin. l. 2. ff. naut. caup. stab. ut recept. rest.

### ADDITAMENTA.

I. **Q**uanquam in Ordinatione Criminali Caroli V. art. 160. alternative  
dispositum sit. So der Diebstall groß vnd fünff Gulden oder  
drüber wehre/ qualis alternativa etiam reperitur in Constit. D. E-  
lectoris Augusti 32. p. 4. §. Wann dann einer; ibi Fünffe der be-  
sten Ungerischen Gulden/ oder darüber außstrüge; Uade quidam suspē-  
dendum esse furem colligunt, etiamsi ultra quinq; aureos Ungaricos nihil furatus  
sit. Sed verius est, poenam ordinariam hoc casu cessare ex mente constituentium,  
quæ in dd. Loc. ex præcedentibus apparet. Ober fünffe der besten Ungari-  
schen Gulden werth. ex quibus alternativa sequens, quæ & aliàs sapius pro con-  
iunctivâ accipitur, l. 53. ff. de V. S. explicanda est; Fustigationis tamen poena cum  
perpetuâ relegatione hoc casu dictari solet.

### II.

Furtum domesticum ab inquilinis servis ancillis & mercenariis commissum, æq;  
æ aliud ab extraneis commissum, ordinaria suspendij poena vindicatur, cum ob fi-  
dem debitam gravius delinquant tales domestici. Idq; expressè sancitum est in Con-  
stit. Elect. Aug. 34. p. 4. Alia ratio est furti à parentibus liberis vel conjugibus com-  
missi: in quos non datur actio furti, sed rerum amotarum in honorem matrimonii  
& proximi sanguinis l. 1. §. 2. l. 5. §. seqq. ff. de act. ver. amor. multò minus hodiè poena  
ordinaria vel corporis afflictiva iis irrogatur, sed mitior poena carceris aut relegati-  
onis aut pecuniaria, Quod & placuit Serenissimo Electori in Constit. quadam pu-  
blice non edita: in qua cæteris quoq; cognatis intra quartum gradum constitutis,  
secundum computationem civilem, poena laquei remittitur, pro furto tamen ma-  
gno fustigatio dictatur. In Affinibus proximioribus ob eandem rationem proximi-  
tatis & attinentiæ, cui honor aliquis habendus est; eadem mitigatio non immeri-  
tò obtinebit. Licet eorum mentio in d. Constit. non fiat.

### III.

Dominium rei suæ perdit, qui eam à possessore per vim rapit, aut in rebus soli vi-  
olentè invadit. §. 2. Instit. de vi bon. rapt. Quod ipsum in Ordinat. Cam. Wormatiæ  
de Anno 1511. in causis violationem Pacis concernentibus, approbatum est, sub tit.  
Wie es in Irrung der possession, vnd derselben entsetzung halben ge-  
halten werden sol. §. vnd ob es je zu Zeiten: De Jure Saxonico autem, mul-  
ta saltè irrogatur citra privationem dominii. gloss. Weichbildt art. 29. n. 10.

### IV. Poena



IV. Poena 30. Solidorum in masculis & 15 Solid. in foeminis in actione injuriarum civili, olim inducta Jure Sax. *Landt. lib. 3. art. 45.* justissima ratione, ob minimam saepe injuriarum & multae, comparationem, abrogata est per constitutionem Elect. Aug. 42. p. 4. ita tamen, ut ad aestimationem injuriarum, eo quoque jure agere permissum sit, quam aestimationem vel absque Juramento petit Actor, vel cu Juramento: tanti se illatam injuriam aestimare, vel malle se tantam pecuniae summam amittere, quam ejusmodi injuriam pati. Utrobique tamen vel cum juramento vel absque eo aestimatione facta, Judicis moderamen accedit. Imò in priore casu praecedit, & Juramentum sequitur, quo facto Judex in taxatam & jurato confirmatam summam praecise condemnabit. Confer. *Auth. post Jurjurandum C. de Judic. Gail. l. 2. observ. 102 Berlich. p. 5 conclus. 61. n. 85. & seqq.* In moderatione verò & injuriae ipsius & personae rationem habebit; ut & Actori fiat satis, nec reus nimium laedatur: nec Actor injuriam aestimans occasione famae ab injuriis vindicandae, questum vel lucrum appetat: unde non obtinuit Actor qui injuriam illatam mille taleris aestimans praecise in partem dimidiam reum condemnari voluit. Sed pro ratione personae & injuriae illius moderamen usque ad 50. taleros reducendum existimavimus nuper in Collegio.

V. Anni unius spatio excludi actionem injuriam supra dictum est in Th. 14. lit. D. Sed citatione impetrata & emissà: si actor in Termino non comparuerit; adeoque reus ab instantia absolutus fuerit, ab ulteriore Actoris impetitione tutus, antequam expensas refuderit, & cautionem de lite prosequenda praestiterit; Queritur, si id intra annum vel plures omiserit actor, an ad actionem injuriarum admitti debeat? Quod negandum ducimus cum & prima citatio, postquam reus ab instantia absolutus esset, ad interrompendam praescriptionem annalem nihil operetur ulterius, sed una cum actione injuriarum extincta sit: donec praestitis praestandis, intra annum redintegretur, quod dum neglexit, sibi imputabit actor, excidisse se culpa sua, injuriarum actione, quae & ipsa alias hodie non nisi litis contestatione perpetuatur, ex *Ordin. Judic. Sax. tit. 6. in fin.*

VI. Poena injuriarum realium graviorum petulanter & absque causâ inflictorum pro diversis qualitatibus & appellationibus *offene Wunden / frisch- oder fleisch Wunden / Kämpffer Wunden / Beinschrötige Wunden / Lämdden /* (de quibus vid. *Coler. p. 1. decis. 161*) Jure Saxonico, si civiliter agatur est Emenda *Busse* / pro qualitate vulneris, mutilati membri & personae laesae, à judice definienda, unâ cum eo quod interest, ratione sumptuum, in curationem impensorum & lucri & operarum ex morbo cessantium. Quae omnia si refarcire vulnerans ob inopiam non possit, poena carceris aut relegationis, alias praeter emendam & impensas imponenda, in longius tempus extenditur. Quanam autem injuriae reales aut vulnera ad jurisdictionem inferiorem vel superiorem pertineant decisum est. in ordinat. Provincial. Sax. de Anno 1555. tit. *was zu Ober / Nieder oder Erbgerichte gehörig.*



3470.



**I**psæ ego laudarem Juvenis, conamina, Docte  
 Si per opus possem, spissius & gravius.  
 Ast potior menti sedet sententia nostræ  
 Res dare quam nullo pondere plura loqui:  
 Prompsimus è Themidis penetralibus aurea dicta  
 Quæ satis ipsa sua lucis honore nitent.  
 Cum tamen in teneras descendat segnius aures  
 Jus varium dubios ipse re texe nodos.  
 Sic quoque legitimi decurso temporis orbe  
 Debita doctrinæ, præmia ritè feres  
 Perge modò & quò TE prædulcis gloria ducit  
 Et favor & virtus, dirige lætus iter.  
 Prospera sint magnis præmissa exordia captis  
 Signeturque nota candidiore dies.

*Testanda benevolentia*  
 f.  
 Gottfriedt Suevus D. h. e.  
 Rector.



**P**lci, cui peperit meritas industria laudes  
 Cum populo nuper publica Jura dares,  
 Nunc quoque privata TIBI restat gloria legis  
 Quæ varios cives CRIMINA priva ligent.  
 Formula Romani talem TE reddidit equi,  
 Hæc Tibi quæ spondet ne dabit illa Tibemis.

Henricus Coselius,  
 J. U. D. P. P.

Hic

*Handwritten notes in green ink, including the word 'meritas' and other illegible scribbles.*





371.

**H**ic consultus erit juris, qui cuncta Sophorum  
Dogmata principiò sedulus arte colit.  
Illotis manibus foedant hi jura sacrata,  
Qui sine culturâ mentis ad astra volant.  
Piltius insigni studio cum Pallade jungit  
Scita sacri juris, Doctor eritque bonus.

*Sic ex animo Eximio atq; Praestantiss.  
Domino. Respond. gratulab.*

**M. Johannes Deutschmann.**

**I**mbibitam stabilire Themis dum niteris usu,  
Et facis arguto verba diserta sono.  
Elucet satis inde tuum felicitis acumen  
Ingenii, Divæ Palladis igne calens.  
Gratulor ergò Tibi. Tu si sic pergis Amice,  
Eunomiæ patribus connumerandus eris.

*Gratulabundus Festinanti cala-  
mo approperab.*

**Justus Richter Reichenbach  
Lusat.**

*Willelmona segaton  
XVI. novemb  
p. 272.*





ULB Halle 3  
003 499 650




sl


VDA7











B.I.G.

Farbkarte #13

23  
344.

NEARUM  
NTA, 1653 23

MONI-  
ICTIS

SI.  
ffu Magni-  
Leucoreà,

llentissimo  
SUEVO,  
rr. Curia Elector.  
gravissimo, Patro-  
olendo,

Fridlanda

um,

DC LII.

11.

